S. P. Quanquam adolescens iste ἐπιστολαφόρος, Vir clarissi-
me, Domine et amice observande, aliena commendatione
magnopere non indigeat: cum tamen intelligerem, ipsum
ad vos, studiorum gratia, migraturum esse: facere non
potui, quin et pro veteri meo erga te amore, et pro
mea de studiosis adolescentibus bene merendi consuetudine,
hasce ei literas velut comites adjungerem. Quoniam
igitur praelectionum tuarum auditor futurus est, rogo, ut
eum tibi commendatum habeas, et quibuscunque licebit ratio-
nibus studia ejus juves ac provehas: planeque tibi per-
suadeas, te discipulum φιλήκοον καὶ φιλομαθῆ et tuorum
meritorum memorem habiturum esse.

et meaque conjuge

Ad me quod attinet, prospera (Dei beneficio) valetudine
adhuc sumus. Familiam ad paucas personas redactam
habeo. Convictores omnes dimisi ob morum, quae indies
invalescit perversitatem. In Schola, Rhetoricam
Artem et Ciceronem interpretor et explano. Privatim
instituo nonnullos nobiles adolescentes: quae res
ad vectigalia mea quantulacunque amplificanda
pertinet. Rerum novarum fere nihil occurrit, quod
tibi ignotum esse putem. Si aliqua tibi cum Christo-
phoro Pflugio Juvene nobili ac erudito intercesserit
notitia, poteris ex eo sciscitari de reb. nonnullis
novis, quas ad eum perscripsi. De Academiae
nostrae statu ex adolescente nostro cognosces.
Plura jam addere non licet. Vale igitur et salve
μυριάκις, me ama: et meis meaque conjugis
verbis uxori tuae dic salutem plurimam. Sed te quoque
uxor mea salutare jubet. Vale iterum et has
literas festinationis et [illegible] plenas in bonam
partem accipe. Altorfii: a. d. X. Novemb.
Ao Epochae nostrae cIↃ. IↃ. XCIII.

Tui amantiss. ac studio-
siss.

Georgius Glaserus

Clarissimo & eruditiss. viro,
D. Theophilo Madero, Doctori
Medico & philosopho: professo
ri in Acad. Heidelbergensi:
Domino & amico meo plu
rimu observando.